



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682


Pataviensi Episcopo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

gat transitum facere nostros Nuntios & Legatos, quanto in eorum procuracionibus faciendis pauciores existunt, tanto facientes amplius prægravantur; & quanto per plures onus esset procuracionis divisum, tanto à facientibus facilius portaretur. Qui siquidem ordinarij, cum pro eis & aliis vigilare jugiter non cessemus, & spiritualia, sicut Dominus dederit, omnibus ministrare, cur in hujusmodi speciali se jure satagant tueri, non videtur, præsertim cum & Apostolus dicat, *Si vobis spiritualia seminamus, non est magnum si carnalia vestra metamus*, & instantia nostra quotidiana sit omnium Ecclesiarum sollicitudo continua, sicut plenius norunt præsententes pariter & remoti. Volentes autem ut quod omnibus imminet, ab omnibus comportetur, discretioni tuæ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus prædictis ordinariis ad tuam præsentiam convocatis, nisi per speciale privilegium apost. sedis à præstandis procuracionibus ostenderit se immunes, etiamsi longissimo tempore procuracionis obsequium non impenderint, cum in talibus sibi præscriptio locum nequeat vindicare, ipsos ad procuracionis sarcinam ordine debito subeundam appellatione remota teneri decernas. Si quid etiam aliud dicti sindici contra præfatos ordinarios habuerint quæstionis, audias illud, & remoto appell. obstaculo iustitia mediante decidas, faciens quod decreveris per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Datum Lat. VII. Kal. Martij.

MAGISTRO ET FRATRIBVS Hospitalis quod Theutonicum appellatur.

Sacrosancta Romana Ecclesia &c. usque ad verbum suscipimus. Specialiter autem ordinationem factam in Ecclesia vestra juxta modum Templariorum in Clericis & Militibus, & ad exemplum Hospitalariorum in pauperibus & infirmis, sicut providè facta est, & à vobis recepta, & hæcenus observata, devotioni vestræ auctoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti pagina communimus. Nulli ergo &c. nostræ protectionis & confirmationis &c. Datum Laterani XI. Kal. Martij.



** PATAVIENSI EPISCOPO.*

AD nostram noveris audientiam pervenisse quòd in tua diocesi etiam in causis ecclesiasticis consuetudo minùs rationalis habeatur, quòd cum aliqua causa tractatur ibidem, allegationibus & querelis utriusque partis auditis, à præsentibus, literatis & illiteratis, sapientibus & insipientibus, quid juris sit, quæritur, & quod illi dictaverint, vel aliquis eorum præsentium consilio requisito, pro sententia teneatur. Nos igitur attendentes quòd consuetudo quæ canonicis obviat institutis, nullius debeat esse momenti, cum sententia à non suo iudice lata nullam obtineat firmitatem, ut in causis ecclesiasticis subiectorum tuorum, postquam tibi de meritis earum constiterit, sententiam proferre valeas, sicut ordo postulat rationis, auctoritate tibi præsentium, præmissa consuetudine non obstante, concedimus facultatem. Nulli ergo &c. Datum Laterani XII. Kalendas Martij.

PATAVIENSI EPISCOPO.

Sicut ex parte tua nostro fuit apostolatui referatum, prædecessores nostri felices recordationis Clemens & Celestinus & devotionem tuam & gentis tibi subiectæ duritiam attendentes, ut absolvere ac judicare posses incendiarios in tua diocesi constitutos fraternitati tuæ de benignitate sedis apostolicæ indulerunt. Nos igitur tibi, quem inter fratres & coepiscopos nostros sincera diligimus in Domino caritate, abundantiore deferre volentes honorem, & illud nihilominus attendentes, quòd ex hoc vita hominum facilius corrigatur, ad exemplar eorundem prædecessorum nostrorum potestatem incendiarios tuæ diocesis absolvi devotioni tuæ auctoritate præsentium indulgemus; nisi fortè tantus sit aliquorum excessus, ut eos oporteat ad sedem apostolicam destinari. Nulli ergo &c. Datum Laterani XI. Kal. Martij.

HENRICO DIACONO.

Cum inter te & Albertum Clericum de Tetingin super Ecclesia sancti Calixti quæstio verteretur, partibus in nostra præsentia constitutis dilectum filium nostrum G. sancti Nicolai

** In Torino Collez. PATAVIENSI Epist. 571. Ut prava iudicandi consuetudo rescindatur. Cap. 3. extra de consuetudine.*

Epist. 572. Datur illi potestas absolvendi incendiarios. In margine epistola 23. remissimus lectorem ad epist. 572. Sed erratum est in numero. Vide epist. 577.

Epist. 573. Ipsi Ecclesiam litigiosam cõfert, adversarioque silentiũ imponit.

Epist. 570. Ordinationem novam ab illis factam confirmat.

am ob- ibus ndi- calis nun- exi- mus zia- bili- nuni no- das, um, udi- pol- tio- ex- ta- ta- pa- mi- na- per ob- pel- du- ap- di- Su- te- nus am- re- III. zri- tatis

0. In- am fa- ani io- sis, ra- pli de- di- ro- er- ve- un in-